

consilia aperiunt; tunc enim nullus est respectus ad confessionem sacramentalem; igitur solum naturale secretum debetur. At si poenitens eos in ordine ad confessionem consuleret, petendo, v. g., modum hæc vel illa peccata declarandi, quidam volunt inde procreari obligationem sigilli: sic P. Antoine, Concina, Collet et Billuart, contra multos alios qui contendunt ibi solam adesse obligationem naturalem.

Quæritur 1º an ipse poenitens obligatione sigilli tenetur.

R. negative. Nam sigillum in ipsius favorem fuit institutum: instantum igitur ad secretum naturale tenetur, in quantum seipsum infamare, vel cum detimento confessarii aut sacramenti loqui non debet.

Quæritur 2º an confessarius quandoque loqui possit cum poenitente de ipsius confessione.

R. Potest in tribunal Poenitentiæ, sed discrete, ne illum offendat: at extra sacrum tribunal, ne illum quidem verbum dicere potest absque poenitentis licentia. Ex licentia autem ipsius spontanea et plene libera, loqui potest de confessione ejus, non solum cum ipso, sed et cum alio, dummodo fines licentiae non excedat. Notandum quippe est hanc licentiam a sola voluntate poenitentis pendere, et ideo limitari vel ad nutum revocari posse.

Quæritur 3º an confessarius aliquando uti possit notitia ex confessione accepta.

R. 1º. Si rem aliunde quam per confessionem noscat, ea sub hoc respectu uti potest, dicendo se eam vidisse, vel tali aut tali via cognovisse. Si vero per solam confessionem eam cognoscat, nunquam ea notitia uti potest, si subsit periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut gravaminis realis aut æstimati poenitenti vel alteri advenientis: hoc ex natura sigilli sequitur.

Hinc superior cognitione per confessionem obtenta uti non potest ad exercendos actus poenitenti vel alteri integratos, v. g., ut vultum austriorem ei ostendat, durius eum alloquatur, colloquium ejus fugiat aut ægre ferat, licentiam exeundi ei recuset, vel suffragium neget, eum

ad Ordines, ad officium vel ad pastoratum non promoveat, ut res suas diligentius servet, seras mutet, claves apud se custodiat, fenestram claudat, etc. Unde Clemens VIII, decreto diei 26 maii, anni 1594, mandavit ut, « tam superiores pro tempore existentes quam confessarii qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernationem utantur. » (*Ferraris, v. Sigil., n. 13.*)

R. 2º. Si nullum sit periculum revelationis aut gravaminis, sive poenitenti, sive alteri, scientia ex confessione hausta uti licitum est; quia tunc nihil est quod reverentiae sacramento debitæ aduersetur, vel poenitenti obesse possit. Unde confessarii notitia per confessionem accepta uti possunt ad orandum pro poenitentibus, ad studendum, ad consulendum, ad sibi invigilandum ne in similes casus labantur, ad benignius eos suscipiendos, ad speciales gratias eis concedendas; in hac enim agendi ratione nihil sacramentum reddit odiosum, nec gravamen imponit poenitenti aut alteri.

CAPUT OCTAVUM.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIAE.

Præcipiuus hujus sacramenti effectus est remissio peccatorum mortalium et venialium, sive quoad culpam, sive quoad reatum poenæ aternæ, non semper remissa poena temporali: talem ex natura sua habere effectum probavimus.

Certum est insuper illud producere gratiam sacramentalem sibi propriam, quæ duo importat, scilicet 1º gratiam sanctificantem ex se peccata remittentem, et 2º jus gratias speciales ad perseverandum necessarias suscipiendi. Hæc propositio, ab omnibus theologis admissa, constat tum ex Tractatu de *Sacramentis in genere*, tum ex dictis in præsenti Tractatu: peccata enim remitti non

possunt nisi per effusionem gratiæ sanctificantis in animam.

Duo nunc supersunt paucis verbis expendenda, vide-
licet 1º an peccata remissa per lapsus in novum pecca-
tum redeant, et 2º an merita ante peccatum acquisita,
per sacramentum Pœnitentiae reviviscant.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ITA DELEANTUR PECCATA UT PER NOVUM PECCATUM
NON REDEANT.

PROPOSITIO.

*Peccata semel remissa per lapsus in novum peccatum non
redeunt simpliciter.*

*Prob. Scriptura sacra. Ezech. xviii, 21 : Si impius
egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium
iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor; Rom. xi,
29 : Sine pœnitentia sunt dona Dei : at si peccata revivis-
cerent, Deus recordaretur iniquitatum, et ipsius dona
non essent sine pœnitentia : ergo. Ita omnes theologi.*

Si autem mulier vidua de Sarepta dicat Eliæ, III Reg. xvii, 18 : *Quid mihi et tibi, vir Dei : ingressus es ad me ut
rememorarentur iniquitates meæ....?* si Tobias dicat Deo, Tob. iii, 3 : *Domine, ne reminiscaris delicta mea, vel pa-
rentum meorum ;* si Psalmista oret, dicens, Ps. lxxviii, 8 : *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum :* hæc
aliaque similia intelligenda sunt de pœnis temporalibus
quæ pro peccato jam remissib infigli possunt; minime
vero ostendunt peccata, sive quoad maculam, sive quoad
reatum pœnæ æternæ redire.

Diximus *non redeunt simpliciter*, quia redeunt secun-
dum quid, eo sensu quod peccatum, post obtentam justi-
ficationem admissum, sit majus et magis a Deo punien-
dum.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN MERITA ANTE PECCATUM ACQUISITA, PER PŒNITENTIAM
REVIVISCANT.

*Notandum est quadruplicis generis distingui opera,
scilicet : viva, mortua, mortifera et mortificata.*

Opera viva ea sunt quæ fiunt in statu gratiæ cum
debitis conditionibus ut gloriam æternam mereantur;
mortua, sunt illa quæ, licet bona et supernaturalia,
præmium cœlestis non merentur, quia fiunt ab homine
gratia sanctificante destituto; mortifera, sunt peccata
quælibet mortalia; denique opera mortificata, sunt opera
bona, supernaturalia et in statu gratiæ facta, sed quæ
desinunt esse meritoria coram Deo, propter lapsus in
peccatum mortale.

Certum est quæstionem moveri non posse de operibus
mortuis quæ, cum vitam non habuerint, reviviscere non
possunt, neque de operibus vivis quæ meritoria esse non
desierunt, sed de solis operibus mortificatis.

PROPOSITIO.

*Bona opera, per peccatum mortificata, efficacia Pœniten-
tie sacramenti reviviscunt.*

*Prob. 1º Scriptura sacra. Ezech. xviii, 22 : Omnia
iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, in
iustitia sua quam operatus est, vivet ; et xxxiii, 12 : Im-
pietas impi non nocebit ei, in quacumque die conversus
fuerit ab impietate sua : at si bona opera per peccatum
mortificata non reviviserent, Deus iniquitatum recorda-
rebat, impietas noceret impio converso. Ergo.*

*Prob. 2º SS. Patribus. S. Hieronymus, in Epist. ad
Galatas, cap. iii, sic ait : « Quicumque ob fidem Christi
» laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut
» prior sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic
» rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem et ad an-
» tiquum studium revertatur. » Eodem sensu locutus
est S. Ambr., lib. 2 in Luc., et plures alii. Ergo.*

Prob. 3^o Conc. Trid. Sess. 6, cap. 16, docet tres requiri conditiones ut bona opera præmium æternum consequantur, videlicet, 1^o ut facta fuerint ab hominibus justificatis, 2^o in Deo seu supernaturaliter, et 3^o ut qui ea fecerint, in statu gratiæ decadant: atqui opera mortificata facta sunt in statu gratiæ, ab homine justificato, qui moriens post justificationem, in statu gratiæ decedit: ergo.

Dices: Non reviviscunt peccata: ergo nec merita.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod peccatum per remissionem omnino deleatur, quoad culpam et quoad pœnam saltem æternam; merita vero per peccatum non destruantur, sed tantum obex illis ponatur: per justificationem autem obex tollitur: ergo reviviscunt.

Queritur quo gradu reviviscant merita.

R. Tres sunt theologorum opinione, quarum communior et probabilius tenet ea reviviscere gradu proportionato intensitati pœnitentia: unde si quis ante peccatum habuerit justitiam ad quatuor gradus, et ipsius conversio sit tantum ad duos, dimidiam habebit partem meritorum; si conversio sit ad quatuor gradus, tota habebit merita, cum gratia sanctificante et virtutibus annexis; si dispositio ejus ad sex gradus ascendat, merita ultra quatuor non resurgent, siquidem nunquam fuerunt majora. Ita, post S. Thomam, *Billuart, Dens* et multi alii.

CAPUT NONUM.

DE PURGATORIO.

Nomine purgatorii intelligitur locus in quo, post mortem, mundantur animæ quibus aliquid superest lendum; vel, ut alii dicunt, locus in quo animæ justorum defunctorum pœnis temporalibus obnoxiae satispatiuntur. Non dicitur *satisfaciunt*, quia jam libertatem non habent, nec igitur mereri possunt, sed tantum pœnas a

Deo sibi infictas sive pro peccatis mortalibus remissis, sive pro peccatis venialibus non expiatis, exsolvere.

Existentiam purgatorii olim negarunt Valdenses, et nunc fortiter negant Lutherani et Calvinistæ. « Claman- » dum, inquit *Calvinus*, Inst. lib. 3, cap. 5, n. 6, non » modo vocis, sed gutturis ac laterum contentionе, pur- » gatorium exitiale esse Satanæ commentum, quod » Christi crucem evacuat. »

Notandum tamen plures inter protestantes non ita sentire, sed locum expiationis, preces suffragiaque pro mortuis admittere. Sic, ex Anglis, *Montagu, Gunnin, Scheldon, Barrow, Blauncford*, etc.; ex Germanis *Mola- nus* apud *Bossuet, Leibnitz*, expresse in *Syst. Theol.*, p. 348, *Less, Young*. Vid. P. *Perrone*, de Purgatorio.

PROPOSITIO.

Existit purgatorium.

Prop. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus, traditione et ratione; atqui propositio nostra est de fide, etc.

1^o Est de fide. Sic enim definita fuit in *Conc. Trid.*, sess. 6, can. 30: « Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit. » Ergo.

2^o Prob. Scriptura sacra. II Mach. XII, 43, *Judas Maccabæus*, cum quidam Judæi in prælio adversus Gorgiam cecidissent, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit *Jerosolymam* offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. Deinde y. 46: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.*

Unde sic: Sacrificium et preces inservire possunt mortuis ut a peccatis solvantur; sed inservire non possunt

beatis qui non habent peccata solvenda, nec damnatis qui, fatentibus adversariis, a peccatis liberari nequeunt : ergo existit purgatorium.

Neque dicant hæretici libros Machabœorum non esse canonicos ; cum enim in primis Ecclesiæ sæculis a Graecis et a Latinis inter libros canonicos annumerati fuerint, ut constat testimoniis *Tertull.*, *S. Cypriani*, *Luciferi Calarit.*, *S. Aug.*, concil. Carth. III, can. 47, concil. Romani sub Gelasio celebrati, *S. Innocentii I* in Epist. ad Exuperium, etc., eorum *canonicitas* in dubium merito revocari non potest. Aliunde, etsi concederetur illos non esse canonicos, saltem negari non potest esse antiquissimos, et cuncta exemplaria, sive Latina, sive Græca, sive Syriaca, eodem modo textum supra citatum exprimere : ergo fidem Judaeorum sicut et Christianorum circa purgatorii existentiam testantur. Ergo.

Math. XII, 32 : *Quicumque verbum dixerit contra Filium hominis remittetur ei : qui ceterum dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Christus loqui debuit modo intelligibili : porro verba ista, neque in hoc saeculo, neque in futuro, non haberent sensum intelligibilem, si Apostoli credidissent nulla remitti peccata in futuro saeculo. Quid sentiremus de homine dicente : Non nubam, neque in hoc saeculo, neque in futuro ? Insulse loqueretur, quia supponeret possibles esse nuptias in altera vita : ergo similiter insane locutus fuisset Christus. Ergo.

Alia eruitur probatio ex *I Cor. III, 13*, ubi Apostolus dicit alios in die judicii mercedem statim recepturos, et alios detrimentum passuros ; salvandos tamen, sed *quasi per ignem*. Ergo 2º.

3º *Prob. SS. Patribus.* *Tertull.*, lib. de Monogamia, cap. 10, loquens de vidua, dicit : « Pro anima ejus (conjugis defuncti) orat et refrigerium interim adpostulat. »

S. Epiphanius, Hæresi 75, n. 7 et 8 : « Quæ pro mortuis concepiuntur preces, eis utiles sunt ; necessario facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit. »

S. Aug., Serm. 172, cap. 12 : « Orationibus sanctæ » Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Dominino, quam eorum peccata meruerunt : hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia. »

Plures alii Patres citari possent. *S. Epiphanius* et *S. Augustini* testimonia probant morem pro defunctis exorandi ipsorum tempore fuisse antiquum, id est, a Judæis transmissum Christianis, et in Ecclesia universalem : insuper *S. Aug.* integrum fecit librum de cura pro mortuis gerenda, et ipse pro matre defuncta oravit eamque orationibus et sacrificiis lectorum suorum commendat ; l. 9 Conf., cap. 13. Ergo 3º.

4º *Traditione.* Præter ea enim quæ retulimus et quæ traditionis existentiam, tum apud Christianos, tum apud Judæos ostendunt, sequentia addi possunt : Græci Latinis in hoc dogmate consenserunt in concil. Florentino ; in eorum liturgia, sicut in nostra, oratur pro defunctis ; imo in omnibus liturgiis ecclesiarum Orientalium, etiam antiquissimis et quæ ad ipsos Apostolos ascendunt, idem statuitur. Nec dissentiant Judæi recentiores, ut ex libris Rabbinorum ostendunt *Serarius* et *Genebrardus*. Pro mortuis orant Islamitæ.

Plus minusve expresse eadem doctrina de purgatorio habetur apud veteres tum Græcos, tum Romanos, ut vide est apud *Clem. Alex.* de Stoicis, et apud alios. De Persis idem refert *Eusebius*, *Præp. Evang.*, Zoroastrum citans. Suffragia pro mortuis admittunt Indi, ut patet ex variis relationibus itinerum.

5º *Ratione.* Constat, remissa culpa, non semper remitti pœnam temporalem : si quis ergo cum pœna temporali non soluta, aut cum aliquo peccato veniali decedat, non statim introibit in regnum cœlorum, nec damnatur : ergo debet esse locus in quo pœnas debitas patiens mundabitur : ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Inter rationes ab hæreticis contra dogma catholicum allegatas, objicitur 1º vōcem purgatorium in Scriptura sa-

era non inveniri ; 2º in Scriptura duos tantum exprimi status hominum e vita decadentium ; 3º Græcos a Latinis in pluribus dissentire.

Verum 1º quid refert quod vox purgatorium in Scriptura non inveniatur, si res ipsa reperiatur ? Certe vox *consubstantialis* non invenitur in Scriptura, nec vox *Trinitas*, et tamen eas admittunt Protestantes. 2º Scriptura duos tantum exprimit status hominum in altera vita post ultimum judicium, ut in Matth. xxv, 34 et 41, scilicet, statum beatorum et statum damnatorum ; sed alibi, *ut ostendimus*, supponit existere locum inter utrumque medium, in quo mortui adjuvari possunt. 3º Græci a Latinis dissentient circa naturam pœnarum quibus animæ justæ plectuntur in purgatorio, non vero circa illarum existentiam. Ergo.

Duo puncta tantum ab Ecclesia fuerunt definita tanquam de fide catholica, scilicet, dari purgatorium et animas ibi detentas fidelium suffragiis, et potissimum salutari altaris sacrificio adjuvari : cetera liberae theologorum discussioni relinquuntur.

Quæritur 1º quæ sit natura pœnarum in purgatorio luendarum.

R. Juxta omnes, duplex est pœna in purgatorio, una damni quæ est retardatio visionis beatificæ, et altera sensus. Hæc autem, secundum Græcos, per labores et dolores acerbos causatur : verum constans Latinorum sententia est, in purgatorio esse ignem materialem similem igni infernali, et ideo Ecclesiam pro animabus fidelium orantem, non petere tantum locum lucis et pacis, sed et refrigerii, videlicet contra ignis ardorem. Unde S. Thomas, Suppl., q. 72, art. 1, docet pœnam purgatorii quamlibet pœnam hujus vitæ excedere, quamvis pœnis inferni æquiparari non debeat, propter amicitiam Dei, spem obtinendi gloriam æternam et resignationem patientium.

Non æquales sunt pœnæ, sive in intensitate, sive in duratione, pro omnibus, quia non omnes eadem habent debita divinæ justitiæ solvenda. Hinc S. Bonaventura et Bellarminus dixerunt maximam purgatorii pœnam maxi-

ma hujus vitæ poena esse graviorem, non vero minimam purgatorii pœnam maxima hujus vitæ majorem esse.

Incertum est an dæmones justos in purgatorio torquent; graves theologi cum S. Thoma negant : affirmat vero S. Bernardus cujus sententiæ favent liturgiæ, in quibus petitur a Deo ut animas illas liberet de ore leonis.

Quæritur 2º ubinam sit purgatorium.

R. Communiter docetur illud esse in visceribus terræ, prope infernum. Attamen S. Thomas, Suppl., q. 69, art. 8, concl., dicit animas extra hunc locum, Deo ita permittente, aliquando purgari et in terra divagari, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem.

Ut certum habetur infernum esse subterraneum. Alius est locus etiam subterraneus, ab inferno et a purgatorio valde probabilius distinctus, quem habitant qui cum solo peccato originali mortui sunt.

Quæritur 3º quanto tempore animæ justorum in purgatorio detineantur.

R. Hoc prorsus ignoratur. Alexander VII, per decretum diei 18 martii 1665, sequentem, numero 43, damnavit propositionem : « Annuum legatum pro anima relictum » non durat plus quam per decem annos. »

S. Aug. matrem suam triginta annos post mortem ejus sacrificiis et orationibus lectorum snorum commendabat; Ecclesia celebrat anniversaria ante plura sæcula pro quibusdam fidelibus in particulari condita : ergo fieri potest ut animæ diutissime maneant in purgatorio : et plures hæc verba I Petr. iii, 19 et 20 : *In quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens, prædicavit; qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca*, interpretantur de animabus in purgatorio detentis a tempore diluvii usque ad descensum Christi in inferos, id est, per duo millia annorum et amplius.

Quomodo autem mundabuntur qui in fine sæculorum cum debitIs temporalibus decent, prorsus ignoramus : Deus, cuius scientia est infinita, non carebit medio pœnas proportionatas eis infligendi.

Quæritur 4^o an animæ in purgatorio detentæ, certæ
sunt de salute sua.

R. affirmative, idque ob revelationem ipsis factam in
judicio particulari, et quia, ex speciali Dei protectione,
confirmatæ sunt in gratia : mereri quidem non possunt,
sed etiam peccare nequeunt. Unde si Ecclesia, orans pro
illis, postulet ut liberentur de pœnis inferni, ne absorbeat
eas Tartarus, ne cadant in obscurum, etc., hoc est quia
eas sibi et Deo repræsentat tanquam ex corpore exeuntes.

Quæritur 5^o an animæ in purgatorio orare possint.

R. Quamvis illæ animæ mereri aut satisfacere nequeant,
quia sunt in termino, actus virtutis, v. g., fidei, spei, chari-
tatis et patientiæ exercere possunt; similiter et orando,
aliquid a Deo impetrare valent, sive pro seipsis, v. g., ali-
quam remissionem pœnæ, ut fere omnes fatentur : sive,
juxta multos, pro vivis, maxime pro illis qui orant pro
ipsis, quia nobiscum sunt in communione sanctorum.
Hinc nihil obstat, in ea sententia, quominus istæ animæ
in privatis orationibus invocentur, sicut preces justorum
viventium utiliter petuntur.

Quæritur 6^o an animæ in purgatorio detentæ, suffra-
giis vivorum adjuvari possint.

R. De fide est eas adjuvari posse : hoc constat ex conc.
Florent., decreto de Purgatorio, et ex Conc. Trid., sess. 22,
can. 3, et sess. 25, decreto de Purgatorio, ubi definit
« purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium
» suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio
» juvari. »

Aliunde dogma istud cum articulo symboli, de communi-
ione sanctorum, conjunctum est et perpetua ac univer-
sali Ecclesiæ praxi probatur, ut testimoniis in proposi-
tione de existentia purgatorii allatis, et ex multis aliis
quæ offerri possent, innotescit. Ergo.

Bona opera quibus animæ in Purgatorio adjuvari pos-
sunt, prout exponuntur in conc. Florent., sunt : « Vivo-
rum fidelium suffragia, Missarum sacrificia, orationes,
» eleemosynæ et alia pietatis officia. » His adjungenda
est indulgentia, quando ita conceditur ut defunctis appli-
cari possit.

Sacrificium Missæ et officium nomine Ecclesiæ cele-
bratum defunctis prosunt, licet a sacerdote in peccato
mortali existente offerantur, quia hæc opera ex ipsius dis-
positione efficaciam suam non habent. Contra vero, ora-
tiones, jejunia aliaque opera personalia in statu peccati
peracta, defunctis inservire nequeunt, quia non sunt
viva nec Deo grata.

Determinare non possumus qua mensura suffragia vi-
vorum, etiam præstantissima, ut sacrificium Missæ, pœ-
nam in Purgatorio solvendam minuant, nec quo modo
illorum valor defunctis applicetur; hoc a multis circum-
stantiis pendere potest, v. g., a natura peccatorum pro
quibus pœna solvenda est, voluntate pœnitentiam agendi
quam habuerunt defuncti, sollicitudine qua moveban-
tur viventes erga alios defunctos, a dispositionibus offe-
rentium et orantium, etc.

CAPUT DECIMUM.

Indulgentia recte definiri potest : *Remissio pœnæ tem-
poralis, peccatis actualibus jam remissis quoad culpam
debitæ, extra sacramentum Pœnitentie facta ab eis qui
habent potestatem thesaurum Ecclesiæ spiritualem dispen-
sandi.*

Dividitur 1^o in plenariam et partiale. Indulgentia
plenaria ea est quæ omnem pœnam peccatis debitam re-
mittit : unde qui eam perfecte lucratus, statim decede-
ret, in regnum cœlorum introiret. Indulgentia partialis
ita vocatur, quia partem tantum, majorem vel mino-
rem, pœnæ temporalis remittit.

Dividitur 2^o in temporalem et in perpetuam. Indul-
gentia temporalis ea est quæ per aliquod tempus lucranda
proponitur, et adveniente termino præfixo exspiratur :
est vero perpetua, quando indefinite concessa est; non
cessat nisi per revocationem sufficienter manifestata.